

Wanckel

1602

H. Sax. C
791

EPITHALAMIVM
 Illustrissimis ac Serenissimis Sponsis,
 DOMINO
CHRISTIANO II.
 DVCI SAXONIAE,

Sacri Romani Imperij Archimarschallo
 & Electori, Landgrauio Thuringia, Marchioni
 Misnia, Burggrauio Magdeburgensi,
 ET DOMINAE

H E D W I G I,
 Serenissimi & inclyti Principis ac Do-
 mini, Dn. *FRIDERICI II.* Dania, Norvve-
 gia, Gothorum Vandalorumq; quondam Re-
 gis &c. filia, Dominis suis elementis.

Faustae gratulationis & subiectissimae ob-
 seruantiae ergo decantatum à

IOHANNEWANCKELIO.



DRESDAE

Prid. Idus Septembr.
 Excudebat Hieronymus Schütz,
 Anno Christi M. DC. II.





V O T V M.

Vos jam Dresda videt Ducis Electoris honores,
Qui celebrat socij splendida festa tori:
Nec semel aspexit ter quinto Misnia seculo,
Quod fasti, & liquida res docet ipsa fide.
CHRISTE, bis octavo, fac, talia gaudia seculo
Viderit ut tantum Misnica terra semel!



1602
EPITHA



EPITHALAMIVM.

Avguror! Hæc fuerant, quæ terris, auspice

CHRISTO

Spondebant cœli favor, astrorumq; periti

Gaudia, præteritos compensatura labores,

Qualia jam multis non vidit Misnia seclis.

Et quisquam neget esse etiam præsagia fati!

Dicamus bona verba! Sonet vox una per urbē;

Et Domino, & Dominae Feliciter! Eja sereno

Septembris duodena dies eat æthere! Tuq;

Spes patriæ, custosq; Ducum, quos proxima cœlo

Evehis ad rerum fastigia, CHRISTE, perennem,

Effice, Prosperitas servet benè cœpta tenorem!

Namq; quod ENSIFERI noctesq; diesq; rogarunt

Vota precesq; Ducis; Genitrix quod cella tot annos

Gestijt, & gemini, concordia pectora, Fratres

Aspicere, & geminae, matris pia cura, Sorores;

Quod tot Principibus consanguinitate propinquis,

Quod populo fuit in votis, qui dulcia fido

Ocia Saxonidos ducit sub tegmine RVTAE:

Lux hodierna dedit. Festo nunc cuncta tumultu

Læticiaq; fremant! Tuq; ô lux MISNIDOS oræ,

DRESDA cie plausum pulcerrima! celsa domorum

Vndiq; pacifera prætexens limina lauro,

A 2

Et

Et viridante vias sternens ac compita myrto,
Ardua jam crebros dent propugnacula bombos,
Flammivoma reboent explosa tonitrua canna,
Fulminaq; aërea simulent crepitantia turre;
ALBIS ut attonito requiescat flumine cursum,
Et circum ingeminent montes silvaq; fragorem.

Alterno litui, tuba, buccina, tympana cantu,
Tibiaq; & citharæ, chelys & lyra compleat aures;
Aureus hinc inter gemmata monilia fulgor,
Igneus inde oculos galearum verberet horror:
Nam Sponsos festiva, decent regalia Reges.

Euge iterūq; iterumq; dato Dresda inclyta plausu
Nam Patriæ cœlestis adhuc indulget honorē (sum!
Hunc Pietas, ut purpurei tua mœnia Reges
Ingrediantur, & exultans Sponsiq; per urbem
Nomina plebs Sponsæq; ferat rumore secundo.

En Patriæ virtutis, opumq; & nominis hæres,
Præsidium IMPERII prægrande decusq; Sacratæ,
CHRISTIANVS, primæ spectandus flore juventæ,
Illustri Procerum invehitur comitante corona,
Et SPONSVS, quo nil in vita dulcius, audit,
Audit Sponsus, & ardenti succensus amore
Æterno pactam jungit sibi foedere Nympham.

Euge iterū da Dresda hilares pulcerrima plausus!
En virgo Regum sata sanguine, mente Rebecca,
Ingenio Abigail, Rahel ore, Susanna pudore,
Illustres

Illustres inter Spectabilis Heroinas,
HEDV VIGIS incedit, Sponsæq; decora superbit
Nomine, virgineoq; pudicas pectore flammæ
Concipit, & RVT A cingens florente capillos,
Supplicis in morem sociali advolvitur aræ,
Imperio jam nunc assuescere prompta jugali,

Eja hilares Dresda ingemina pulcerrima plausus!
Ipse DEVS, cuius titulum & simulacra Monarchæ,
Quorum sub pedibus vertiq; regi; videmus
Cuncta, gerunt, quoties sibi nomen amabile, casta
Gaudia, & affectus flagrantis pectore toto
Attribuit Sponsi? Mirum quis nescit amorem,
Quo genitore Deo satus atq; Ecclesia, cœtu
E medio collecta hominum, junguntur? Vt ille
Hanc propter nitido non dedignetur Olympo,
Virgine natus Homo, descendere, & in cruce fuso
Sanguine foedatam maculis & carcere clausam
Prodigium hanc redimat simul, atq; emūdet amator!

Hæc verò ut, Sponsi quæ gratia dia ministrat,
Muneribus cumulata novum decus induat, atq;
Posthabitæ terris, a spiret ad ætheris aulam!

Euge iterūq; iterūq; cie Dresda inclyta plausum!
Quippe Patris nunc ætherei CHRIS T Iq; secutus
Exemplum Elector juvenis, socialia lætus
Vincla subit, Dominamq; vocat, lociamq; bonorū
Iam nunc esse facit te, regia Virgo, suorum.

A 3

Ergo

Ergo etiam meritò gentemq; domumq; paternam
Eijcis ex animo, desiderioq; tuorum

Dilecti præfers gentemq; domumq; mariti.

Inprimis quia communis vos stirpis origo
Conciliat, generisq; tibi monimenta propinqui,

Quoquo convertas oculos, locus exhibet omnis:

Sponsa Amitæ, Sponsusq; Avix dū cernitis ANNÆ

Et decus & titulos, atq; inter stemmata Regum,

Subdita quos Septem, venerantur regna trioni,

Saxona cum Danis se R V T A L E O N I B V S effert.

Eja age Dresda hilares itera pulcerrima plausus!

Viva boni Ducis effigies pater est bonus. Omni

Vt studio genitor, connisus sanguine toto,

Hoc agit, immunemq; mali diteinq; bonorum

Vt placido nati decurrant tramite vitam:

Sic Princeps, ex quo populo se mente dicauit

Devota, sibi se velut eripuisse videtur,

Vt patriæ totum porrò se debeat uni:

Cunctorum ut somnos hujus vigilantia, sudor

Ocia, delicias industria, cura quietem

Defendant. Etenim solitum velut astra per orbem

Nunquam fessa volant, hominum servire parata

Vsibus: Haud aliter, genus in mortale potestas

Cui regimen suprema dedit, subsistere nunquam

Est licitum, aut propriæ sese impartire saluti.

At patris affectum quis scit sine compare dulci?

Quæ

Quæ venit in partem curarum, cumq; marito
Vnanimi cunctos vitæ concorditer annos
Exigit, & crebra facit illum prole parentem.

Eja hilares Dresda ingemina pulcerrima plau
Conlociata Duci est jam, deducente Iehova, (sus!
Consilij adiutrix, curarum conscia, consors
Læticæ, & casus uxor solamen in omnes.
Cælica conjugibus spacium modò proroget ævi,
Et sobolem bonitas det Marte togaq; potentem,
Quæ decoret genus, & mores cum laude parentum
Exprimat, ut Sponsus verè Princepsq; paterq;
Sit Patriæ, & stirps hæc Electoresq; Ducesq;
Saxonix semper pariat, quîs pareat Albis,
Salaq; cum Mulda: Quibus assertoribus, alma
Relligio, sincera Themis, Musæq; pudicæ,
Et placida Eunomie, Pax aurea, Copia dives,
Cana Fides, Honor ingenuus, Concordia dulcis,
Perpetuam terra teneant in Misnide ledem.

Euge iterumq; iterumq; cie Dresda inclyta plau
Dumq; Megistanum tibi maiestate tueri (sum!
Ora verenda licet: quos inter Avunculus ille
SCEPTRIFER excellit Sponsi, qui nobile Brenni
Nomen ab urbe gerit, nulli pietate secundus:
Inclytus & Sponsæ frater, nova gloria gentis
Holsatæ, patriæ spes iusta VLRICVS, & altâ
Quotquot stirpe Duces geniti spectacula ludis

Martia

Martia commissis edunt, & alacriter hastis
Directis peragunt certamina: Munere grates
Pro tanto persolve Deo, qui crura Gigantis
Ferreæ, quæ Princeps vidit Babylonius olim,
Servat adhuc, resq; Imperij jam penè labantes
Germani, Regum per mutua fœdera firmat,
Et generosa Ducum cum CAESARE pectora necit.
Eja age Dresda hilares itera pulcerrima plausus!
Et quia vota pium est miscere iterata sonoris
Plausibus; Autorem Servatoremq; jugalis
Supplice mente roga thalami; Det prospera vitæ
Tempora concordemq; torum, seriemq; nepotum
Innumeram, immota sociatis lege maritis;
Et RVTÆ, convexa polus dum sidera pascet,
Germina vernantis foveat, tegat, augeat, ornet,
Multiplicanstibi, DRESDA, hilares, pulcerrima,
plausus.

F I N I S.



U. Sax. C. 791

Dieser Band wurde 2010
durch Bestrahlung
sterilisiert. Verfärbungen
stellen keine Gefahr dar

12

12